



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. v. Propria causalitas causæ efficientis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

non requiritur ut sit determinata numericè; tunc enim instrumentum agit ut virtus causæ, si ei assimilet effectum secundum speciem; sed assimilat ei effectum secundum speciem, etiam si sit indeterminata: ergo agit ut virtus illius etiam si sit indeterminata. Accidentia igitur illa non sunt instrumenta causæ principalis propter determinatam esse in individuo, sed propter determinatam esse secundum speciem, id est respiciunt totam speciem, & indifferentia sunt ad quodlibet individuum talis speciei. Ad confirmationem concedo, quod ex ranis possibilibus nulla est determinatè, cui possit effectus sic attribui, ut non possit attribui alteri; sed potest tamen attribui cuilibet sumptæ indeterminatè, vel illi, vel illi, vel illi.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Nulla causa physica potest agere per se, vel per suam virtutem, nisi existat: sed agens hoc indeterminatum nec existit, quia volo primam ranam produci ex materia putri; sed nec existere potest, quia omne quod existit, est determinatum. Confirmatur, quia si cuilibet ranæ tribui potest rana hæc producta, poterit etiam ipsa esse causa sui ipsius.

Respondeo, esse impossibile, ut id quod non existit, agat immediatè; sed non esse impossibile ut agat mediatè per suam virtutem, quia existit quodammodo in sua illa virtute. Ad confirmationem concedo, effectum hunc posse tribui toti speciei, & cuilibet individuo illius, modò tamen illud excipias quod producit, quia non potest idem esse causa sui ipsius.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Idem tantum attribuitur rana hæc producta ranæ indeterminatæ, quia instrumentum assimilat illi effectum: sed effectus determinatus magis assimilat ranæ determinatæ: ergo ranæ determinatæ debet tribui effectus, non autem ranæ indeterminatæ. Confirmatur, quia rana determinata, quæ producit, pendet ab aliqua causa principali, non solum quatenus est rana in tali specie, sed etiam quatenus est hæc numero, & determinata: sed quatenus est determinata in individuo, non potest pendere à causa indeterminata, quæ illam non continet: ergo pendet à causa determinata.

Respondeo, effectum productum idem attribui ranæ indeterminatæ, quia illi assimilat, & non potest tribui alteri; si enim posset tribui alteri, non illi tribueretur, quamvis instrumentum illi effectum assimileret, sicut non potest tribui ranæ determinatæ, cui assimilat, quia non ita illi assimilat ut non assimiletur etiam alteri. Ad confirmationem negatur minor; potest enim rana determinata in individuo pendere à causa indeterminata, quia causa hæc indeterminata cum sit ipsa species secundum aliquod individuum indeterminatum, continet eminenter individua omnia determinata, quæ sunt in tali specie.

SECTIO V.

Propria causalitas causæ efficientis.

Ab actu primo, de quo hæcenus dixi, transco ad secundum, quem communiter appellant *causalitatem*; quia per eam agens à statu potenciali transit ad statum causantis actus. Video autem plurima disputari posse de causalitate causæ huius, quam certum est esse actionem; sed quia identificatur cum motu, plura cum eo habet connexa, de quibus dicam *disp. 7.* nunc dicere satis sit actionis existentiam, & quidditatem; secundò distinctio-

nem eius ab effectu; tertio eius subiectum; quarto unitatem numericam.

S. I.

Existentia & quidditas actionis.

Certum est primò, nullam esse realem entitatem à Deo distinctam, quæ non fiat per veram & propriam actionem; formalitates autem, & omnia entia connotativa, non fieri per actionem ullam ad se propriè terminatam, sed tantum resultare posito proximo fundamento & termino sine ulla sibi propria actione.

Actionis existentia.

Primæ partis ratio est, quia, si res aliqua sit, datur etiam necessarîo ipsum eius fieri, atque adeo ex parte agentis datur ipsum facere, quod actio est, & ipsum agere.

Secundæ partis allata ratio est cum egi de relationibus; quia scilicet illud non est producibile per veram actionem distinctam ab actione, quæ sunt fundamentum, & terminus, quod non est aliquid distinctum à fundamento & termino: sed formalitates & connotationes non sunt aliquid distinctum à fundamento & termino: ergo non sunt per actiones sibi proprias, sed tantum resultant posito proximo fundamento & termino: v.g. libertas in actu voluntatis est duntaxat formalitas, quæ in recto dicitur entitatem ipsius actus, in obliquo autem potentiam ipsam indifferentem; quæ formalitas non est aliquid producibile in actu; sed posito actu & potentia indifferente, quæ illum elicit, libertas in eo resultat per eandem realiter actionem, per quam elicitur ipse actus, sed formaliter ab ea distinctam. Vitalitas est formalitas actus vitalis, & est in recto ipsa entitas actus immanentis, in obliquo autem potentia immanenter operans post acquisitum totum statum connaturalem; idem vitalitas non est aliquid producibile in actu vitali; sed resultat ex modo, quo fit à sua causa.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Quidquid existit cum antea non existeret, necessarîo debet fieri, quia debet ab aliquo recipere suum esse: sed formalitates; v.g. libertas in actu, existit cum antea non existeret: ergo illæ debent necessarîo fieri: sed fieri est actio: ergo illæ formalitates terminant aliquam actionem.

Respondeo distinguendo maiorem. Quidquid existit cum antea non existeret, debet fieri per veram actionem sibi propriam, nego; debet fieri per actionem, vel per resultantiam, concedo: sed omne fieri, est actio, vel resultantia formalitatis, concedo. Fateor ergo formalitatem fieri per veram actionem, sed non per actionem distinctam ab actione, quæ sit proximum eius fundamentum, & eius terminus; & idem appellatur resultantia, non quod illa non sit actio, sed quia est eadem realiter actio cum ea quæ sunt fundamentum & terminus, quibus positis dicitur resultare formalitas per eandem realiter actionem, sed non per eandem formaliter.

Obiicitur secundò: Si formalitas non fit per actionem, sequitur quod illa non habeat causam; causa enim constituitur per actionem; hoc autem absurdum est, quia homo causa est actus vitalis, actus liberi, actus mali.

Secunda obiectio.

Respondeo formalitates habere aliquam causam, sed non distinctam à causa fundamenti sui proximi, cum non fiant per actionem distinctam. Illud igitur causa est formalitatis, quod est causa proxima fundamenti proximi, à quo formalitas illa resultat.

Quæst. III. Sect. V. de Causa Efficiente. 151

ultat ut sic, id est, id à quo actus habet quod sit proximum fundamentum talis formalitatis: v. g. Deus, & creatura producant eundem actum vitalem, & tamen Deus non est causa vitalitatis, sed sola creatura, quia non habet actus prout est à Deo, quod sit proximum fundamentum vitalitatis, sed à creatura, quæ immanenter illum producit; non enim actus denominatur vitalis prout est à Deo. Illud est causa libertatis, à quo actus habet quod possit fieri, & non fieri: illud est causa malitiæ, à quo actus habet quod sit contra rationem.

Tertia obiectio. Obiicitur tertio, hinc sequi, quod illa omnis causa, quæ producit fundamentum formalitatis, est causa formalitatis, quod absurdum est, quia Deus causat fundamentum malitiæ, nempe actum malum; & tamen non causat malitiam.

R. negando illam sequelam, quia formalitas est quidem entitas fundamenti, sed prout respicit talem terminum; ideoque non quicumque causat entitatem fundamenti, causat formalitatem; sed qui causat entitatem fundamenti prout connotat talem terminum, est causa formalitatis, id est, id à quo talis entitas habet quod sit proximum fundamentum talis formalitatis; v. g. non quicumque facit actum malum, ille facit malitiam; sed quicumque facit actum malum, prout connotat diffinitionem cum recta ratione.

Definitio actionis. Certum est secundò, actionem rectè definiri, est *dependencia effectus ab agente*, atque ita necessariò sequitur, actionem quamlibet esse fieri alicuius effectus, qui per eam fiat, & de nouo accipiat existentiam, & esse impossibiles actiones, quæ sine solum tendentia in terminum, sed non sint fieri ullius effectus.

Ratio est, quia ubicunque aliquis agit, necessariò etiam aliquid agitur: sed ubi est actio, necessariò aliquid agitur: ergo ubi est actio, necessariò aliquid agitur. Deinde actio est effectio, & fieri rei alicuius; sed ubi est effectio, & fieri, necessariò ibi est effectus & factum esse: ergo ubi est actio, necessariò est effectus de nouo productus; nihil enim fit si antea fuit. Non dixi tamen actionem esse fieri termini à se distincti; nam falsum est, saltem in motu locali, & negatur à nonnullis de omni actione generatim, contra quos disputandum nunc est.

§. II.

Verum actio distinguitur realiter à termino.

Dplex moueri potest controuersia circa distinctionem actionis à suo termino, cuius est fieri: prima de actione, qua effectus producitur à causa creata: secunda de actione, per quam aliquid fit à Deo.

Conclusio. Dico primò, actionem saltem aliquam esse distinctam modaliter à suo termino, & ab eo esse realiter separabilem. Ita docent Suarez, Aresius, Hurtadus, Aueris, ceterique ferè recentiores, contra Nominales, Sorum, Valentiam, & plures à Veteribus, qui asserunt actionem esse realiter idem cum termino producto. Contra quos,

Prima ratio. Ratio primò est, quia illa distinguuntur realiter, quæ possunt separari: sed actio separari potest à termino, saltem aliqua: ergo actio saltem aliqua distinguitur à termino. Probat minor. Lumen quod in aère productum pender à Deo & à sole, potest Deus se solo conseruare, ita ut non pendeat amplius à sole, sed à solo Deo: tunc implicat ut

A lumen quod pendeat à sole, incipiat ab eo non pendere, quin fiat aliqua mutatio in aliquo, ita ut aliquid desierit, quod prius erat: sed in sole facta mutatio non est, non in ipso Deo, ut patet; non in lumine producto, quod volo manere idem: ergo facta est mutatio in actione, ita ut actio prior desierit, & noua inceperit esse.

Secundò, ignis A, qui in primo instanti producit ignem B, in secundo autem instanti non illum producit, quia solus Deus illum conseruat, ergo productio separabilis est tum à termino, tum ab agente, quia vtrumque manet in rerum natura; & tamen non manet productio. Similiter potuit hic homo nasci ab alio patre; tunc non penderet ab eo patere, à quo nunc pender: ergo haberet actionem diuersam; actio enim dependens est.

Respondent aduersarij primò, factam esse mutationem in eo, quod lumen desierit produci à sole, à quo prius producebatur.

Sed contra; implicat enim ut lumen incipiat non produci à sole, cum ab eo antea produceretur, nisi desinat aliqua entitas, quæ prius erat: sed nulla hic desinit entitas præter actionem; ergo desinit actio, quæ prius erat. Probat maior. Implicat ut duæ propositiones contradictoriæ de eodem enuncientur successiue, nisi aliquid nouum factum sit, vel aliquid quod prius erat, desierit: sed lumen esse descendens à sole, & esse ab eo independens, sunt enunciationes contradictoriæ, quæ fiunt de eodem lumine: ergo necesse est ut de nouo aliquid sit factum, vel destructum.

Respondent secundò, idè effectum pendere à solo Deo, quia prior concursus desinit secundum id quod dicit in obliquo, sed non secundum id, quod dicit in recto.

Sed contra. Implicat ut aliqua connotatio incipiat esse de nouo, cum antea non esset, nisi alicubi facta sit mutatio: sed hic neque mutatio fit in causa, neque in effecta, neque alibi: ergo mutatio fit in sola actione, alioqui non potuit effectus connotare causam, quam prius non connotabat.

D Respondent tertio, factam tunc esse mutationem virtualement & æquiualentem in ipso Deo; id est, Deum volentem ut lumen quod prius ab ipso erat, & à sole, incipiat esse à solo Deo, habere actum æquiualentem actui, quem haberet si per impossibile mutaretur.

Sed contra, quia per solum actum immanentem & intrinsecum Deo non possunt explicari denominationes nouæ in rebus exurgentes, alioqui sine nouo calore dici posset fieri, aliquid de nouo calidum, quia Deus vult. Deinde ut lumen ex dependente fiat independens, necesse est ut sit nunc aliquid quod non esset si lumen esset dependens: sed actus ille diuinus virtualiter nouus, esset eodem modo, si lumen maneret dependens: ergo ille solus actus non sufficit.

Dico secundò, actionem etiam illam, qua effectus producitur à Deo, vel solo, vel simul cum creatura, distingui modaliter ab effecta.

Ratio est primò, quia actio illa (ut postea probabitur) qua Deus producit effectum simul cum creatura, est actio illa eadem per quam creatura illam producit: sed actio qua creatura producit effectum, distinguitur ab effecta: ergo etiam actio qua Deus illum producit. Deinde ille idem effectus, qui pender à Deo per hanc numero actionem, potest pendere à Deo per aliam actionem: ergo actio qua effectus pender à Deo, distinguitur

N 4 ab

Secunda ratio.

Prima euasio.

Secunda euasio.

Tertia euasio.

Secunda conclusio.

Ratio.

ab effectu. Probo antecedens. Quando ignis in A
conseruari pendet à solo Deo, non pendet ampliùs
ab eo per actionem, qua pendeat ab eo simul,
& ab igne; sublato enim agente, tollitur actio: er-
go ille ignis potest pendere à Deo per aliam actio-
nem ab ea, qua nunc pendet.

Quæstio.

Respondent aduersarij, effectum, qui produci-
tur à Deo, produci per duas actiones: per vnā
pendet à Deo essentialiter, per alterā pendet ac-
cidentaliter, siue pendeat à solo Deo, siue pen-
deat à Deo simul & à creatura.

Sed hoc quā sit improbabile, ostendam *tra-*
ctatu secundo, cum agam de creatione: nunc satis
sit dicere, quod hinc sequeretur, eundem effectum
pendere naturaliter à pluribus actionibus totali-
bus; vtraque enim illa actio totalis est, vt patet,
cum sit sufficiens ad extrahendum effectum à non
esse ad esse: ergo altera ex illis actionibus frustra
est, cum vna ex illis totum producat effectum.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Si effectus vt transeat à non
esse ad esse, pendet ab agente per actionem distin-
ctam, actio etiam pendere similiter ab eo debet
per actionem distinctam.

Neque dicas esse disparitatem in eo, quod actio
essentialiter pendet, atque adeò pendet per seip-
sam; effectus autem cum essentialiter non pendeat,
pendet per actionem distinctam.

Contrā enim instari potest, quia manifestum
est quod creatura essentialiter à Deo pendet: ergo
illa non pendet à Deo per actionem distinctam.

Resp. actionem non pendere ab agente per
aliā actionem distinctam, non tantum quia pen-
det essentialiter ab agente, sed quia pendet tan-
quam formalis ratio dependendi; est enim depen-
dentia effectus ab agente. Creatura quidem omnis
pendet essentialiter à Deo, sed non est tamen for-
malis ratio dependendi, quia quamuis sit ens de-
pendens, non est tamen formalis dependentia;
dependet nimirum essentialiter tanquam *id quod*,
non tanquam *id quo*. Sed hæc aliās cum dicam de
creatione.

Secunda.

Obiicitur secundò. Si actio distinguitur à ter-
mino, vel illa ita pendet ab agente, vt actio tota
pendeat à tota causa, & singulæ partes actionis
pendeant à singulis partibus agentis, quod est pen-
dere diuisibiliter; vel illa ita pendet vt actio tota
pendeat à singulis partibus agentis, quod est pen-
dere indiuisibiliter: neutrum dici potest: ergo
actio non distinguitur à termino. Probat quod
non pendeat diuisibiliter, quia sit vna pars agen-
tis non inuaret aliam partem, imò cum singulæ
partes agentis producant totum effectum, certè
oportet etiam vt singulæ totam producant actio-
nem. Denique si singulæ partes agentis produce-
rent partem actionis, singulæ partes agentis non
agerent in toto passo, sed attingerent tantum par-
tem passi, & partem effectus: quæ omnia sunt ab-
surdum, quia certum est quod agentia quæ simul
agunt, agunt actione communi.

Quod autem actio indiuisibiliter tota non pen-
deat à singulis partibus agentis, probatur, quia si
qualibet pars agentis causaret totam actionem, de-
beret necessariò mutari actio tota, sublata quali-
bet parte agentis per motum localem: v. g. si suc-
cessiuè corpus interponatur inter ignem calefa-
cientem, & aërem, toties mutabitur actio totalis,
quoties vna pars desinet agere: hoc autem absur-
dum est, quia debentur infinitæ produci actiones
totales in breuissima illa mora temporis; nam to-
ties tollitur actio totalis, quoties tollitur pars
agentis; illæ autem partes per motum illum suc-

cessiuum mutantur infinitiùs, cum sint infinitæ
partes proportionales, tum in tempore, tum in
agente: ergo in motu illo successiuo producuntur
infinitæ actiones totales, tot nimirum, quot sunt
in agente, ac in tempore partes proportionales.

Resp. actionem pendere à toto agente indiuisi-
biliter, ita vt singulæ partes agentis totam produ-
cant actionem, vt rectè probat argumentum. Ne-
que absurdum est, mutari totalem actionem muta-
ta parte qualibet ipsius agentis per motum succe-
ssiuum, easque actiones eo modo esse infinitas syn-
categorematicè, quo infinitæ sunt partes tum tem-
poris, tum agentis.

Instabis: Vel illæ actiones totales, mutato suc-
cessiuè agente, mutantur totæ simul & in instanti. *Instantia.*
& sic illæ non mutantur per motum; vel mutantur
successiuè, ita vt vna pars actionis tollatur
post aliam, & sic actio tota non pendet à singulis
partibus agentis indiuisibiliter, quia huiusmodi
actio diuisibiliter mutatur & amittit prius vnā
partem, deinde aliam; sic enim sublata parte agen-
tis, manebit tamen aliquid actionis, quæ pendeat
à parte agentis, quæ dicitur esse ablata.

Resp. singulas actiones totales tunc mutari to-
tas simul, & dum sit motus; ita vt in singulis par-
tibus proportionalibus motus fiat actio noua tota-
lis, quæ licet fiat durante motu, non illi tamen
commensuratur: quod idem dicendum est de rari-
tate, vt ostendam alibi; nam cum quantitas rare-
fit, mutantur necessariò infinites extensiones
totales.

Obiicitur tertio: Si actio esset modus distinctus à *Tertia ob-*
suo termino, deberet esse in suo termino tanquam *iectio.*
in subiecto; nam omne modificatum est subiectum
sui modi: sed terminus non potest esse subiectum
actionis per quam produciatur, subiectum enim est
prius naturā, quā illud cuius est subiectum; ter-
minus autem non est prior naturā quā actio: er-
go actio non est modus.

Resp. terminum non esse subiectum actionis,
sed subiectum ipsius termini esse subiectum actio-
nis: v. g. calor qui produciatur non est subiectum
calefactionis, sed lignum, quod calefit, est subie-
ctum tum caloris, tum calefactionis. Quid autem
de creatione dicendum sit, quæ non potest habe-
re aliud subiectum nisi terminum, difficultas est,
de qua dicam suo loco.

Instabis: Omnis modus est posterior naturā suo *Instantia.*
modificato; est enim affectio quædam entitatis
quæ semper est posterior entitati; actio autem non
est posterior modificato: ergo actio non est modus
sui termini.

Resp. distinguendo maiorem; modus qui non
se habet per modum viæ, posterior est modificato,
concedo; modus qui se habet per modum viæ, po-
sterior est naturā termino ad quem est tendentia,
nego. Actio autem tendentia est ad terminum
produendum.

Obiicitur quartò: Vel actio quæ egreditur ab *Quarta ob-*
igne A, potest eadem egredi ab igne B, vel non *iectio.*
potest; si potest: ergo vel debet fieri per aliam
actionem, vel sine vlla mutatione potest esse actio
modò ab vno agente, modò ab alio; si autem non
potest: ergo actiones procedentes ab agentibus di-
uersæ speciei, v. g. calefactio procedens à sole, &
altera procedens ab igne, specie differunt.

Resp. esse prorsus impossibile, vt actio hæc nu-
mero non pendeat ab hoc numero agente, quia
illa est essentialiter per seipsam dependentia ab hoc
agente, si enim pendere posset ab alio agente, cer-
te separabilis ab ea esset dependentia eius à tali
agente,

Quæst. III. Sect. V. de Causa Efficiente. 153

agente, & sic penderet per aliquid superadditum, & non esset essentialiter dependentia. Neque videretur quod inferrebat, quia calefactiones quæ pendent à diversis agentibus, non habent respectus transcendentales ad causas suas, ut diversæ sunt, sed ut vna continet vim productivam caloris eiusdem rationis cum ea, quam altera continet.

§. III.

Utrum actio sit in ipso agente, an verò in termino.

Actio, ut sæpè dixi, est duplex; alia est immanens, per quam nihil sit extra ipsum agens, sed ipsa cum suo effectu manet in agente, ut visio, & intellectio; alia est transiens, per quam aliquid extra ipsum agens procedit, ut calefactio. Actionem immanentem certum est esse in agente, non quatenus agens est, sed quatenus passum est. De sola igitur actione transeunte

Tertia conclusio.

Probatio.

Dico tertio. Actio nec est in agente, nec in effectu, sed in eo subiecto, in quo producitur effectus. Contra Caietanum, Scotum, & Scotistas.

Ratio est, quia motus, actio, & passio sunt vna res: sed passio non est in agente, sed in passio. Deinde si actio esset in agente, deberet agens mutari agendo, quod absurdum est, cum tamen non mutetur, nec recipiat aliquid; sol calefaciat, nec recipiat calefactionem: ergo actio non est in agente. Maior probatur, quia illud mutatur, quod de nouo aliquid recipit; agens autem agendo reciperet actionem: ergo agens mutaretur. Denique si actio esset in agente, deberet agens per illam denominari patiens, quod absurdum est, quia agens ut agens non est patiens: ergo actio non est in agente.

Secundò, quod actio non sit in effectu, probatur, quia effectus est aliquid posterius actione (ut dixi nuper) subiectum actionis est aliquis prius actione: ergo effectus non est subiectum actionis, deberet enim esse prior, & posterior. Deinde causæ non possunt esse sibi mutuo causæ in eodem vel diverso genere causæ; si autem effectus esset subiectum actionis, causæ sibi essent mutuo causæ: igitur solum mobile, siue passum dici potest subiectum actionis.

Prima obiectio.

Obiicitur primò. Actus est in eo, cuius est actus, ut habetur ex Aristotele 2. de Anima: sed actio est actus agentis: ergo actio est in agente.

Resp. alium esse actum à quo, alium actum in quo: actus à quo est perfectio solum extrinseca eius, cuius est actus; actus verò in quo, est perfectio intrinseca. Verum est, actum in quo, esse in eo, cuius est actus; & de hoc solo loquutus est Aristoteles; actus autem à quo non est in eo cuius est actus; huiusmodi sine dubio est actio.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò. Accidens est in eo, cuius est accidens: sed actio est accidens agentis; illud enim denominat: ergo actio est in agente.

Resp. accidens intrinsecum esse in eo, cuius est accidens; accidens autem extrinsecum, quod non nisi extrinsecè denominat, non est in eo cuius est accidens.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Si actio esset in passio, deberet per eam passum denominari agens; quod probo. Forma communicat suum effectum formalem & denominationem subiecto in quo est, sicut albedo denominat album parietem in quo est: sed actio esset in passio ut subiecto: ergo actio denominaret agens ipsam passum.

A Resp. negando quod passum denominetur agens; forma enim intrinseca denominat subiectum in quo est, sed forma extrinseca non illud denominat. Formam intrinsecam appellant eam, quæ inheret subiecto quod denominat; formam extrinsecam, quæ in vno existit, & denominat aliud, ut cognitio denominat obiectum cognitum, in quo non est. Huiusmodi forma est actio, quæ non denominat passum, in quo est; sed agens, in quo non est.

§. IV.

Vnitates numerica actionum.

De vnitates numerica & specifica actionum plura dicam *disp.* vltima, ubi dicitur de motu. Hic duplex difficultas est: primò, utrum quando plures causæ concurrunt ad eundem numero effectum, singulæ actionem habeant sibi propriam, an verò actio vna communis ab omnibus producatur: deinde, utrum per eandem actionem forma producatur, & uniatur subiecto.

Dico quartò. Multiplicatis causis non multiplicari necessariò actiones, sed posse actionem eandem prodire à pluribus causis simul agentibus. Ita docent communius omnes cum Molina, Suarez, Arriaga.

Actio communis plurium.

Ratio est, quia primò alioqui sequeretur, dari actionem in distans, si agentia plura non agerent actione communi; sit enim v.g. globus igneus, cuius partes internæ agunt sine dubio in aërem remotum, neque agere possunt in partes externas eiusdem globi, ne simile agar in simile; tunc si partes internæ habent actionem sibi propriam, dabitur actio in aërem distantem sine actione per medium. Secundo singulæ causæ totum producant effectum secundum gradum, quem in se habent: ergo singulæ totum dant influxum necessarium ad productionem effectus. Neque propterea causæ illæ totales sunt, ut suprà sæpè notatum est; quia illa causa totalis est, quæ per se solam dat totum influxum necessarium, ita ut si sola esset, sufficeret ille influxus ad productionem effectus. Istæ verò causæ non dant totum influxum prout solæ, sed prout coniunctæ sunt aliis cum quibus faciunt vnam causam totalem. Denique sequeretur, quod agentia plura inuicem iuncta non possent producere intensiorem effectum, quàm si vnicum tantum esset; vnum enim agens non inuaret aliud. Sed de actione communi plura in libris de anima.

D Dico quintò, actionem, per quam forma tum substantialis, tum accidentalis producitur in subiecto, necessariò esse duplicem; alteram, qua producatur ipsa forma; alteram, qua producatur vnio. Contra Suarem, Auerlam, & Conimbricenses.

Eductio duplex est actio.

Ratio est, quia ubicunque sunt distincti termini, debent esse necessariò actiones distinctæ; actio enim specificatur à termino, & est illius modus; implicat autem ut eiusdem modi sint plura modificata: sed forma & vnio sunt entitates distinctæ: ergo illæ necessariò sunt per actiones distinctas.

E Obiicitur primò contra priorem conclusionem: Actio pendet essentialiter ab agente: ergo non potest pendere ab alio quàm ab hoc. Deinde non potest eadem actio respicere plura principia specie diuersa.

Prima obiectio.

Obiicitur primò contra priorem conclusionem: Actio pendet essentialiter ab agente: ergo non potest pendere ab alio quàm ab hoc. Deinde non potest eadem actio respicere plura principia specie diuersa.

Respondeo concedendo, quod actio pendens ab vno tantum agente, non potest pendere ab alio etiam diuinitus; mutato enim agente, necesse est mutari actionem; sed vna tamen actio indiuisibilis pendere

pendere potest essentialiter à pluribus agentibus, quorum vno sublato auferatur actio totalis. Ad argumentum ergo distinguatur antecedens: actio pendet essentialiter ab agente, vno vel pluribus, concedo; pendet essentialiter ab vno agente, nego. Quod additur, non posse actionem eandem respicere plura principia specie diuersa, falsum est, cum possit vna cognitio terminari ad obiecta diuersa.

Secunda obiectio.

Obiicitur secundò contra conclusionem posteriorem. Hæc ratio præcisè sumpta, per quam forma fit, est in subiecto: ergo per illam actionem forma fit in subiecto.

Resp. ex dictis de vnione, distinguendo consequentiam: ergo per illam actionem forma fit in subiecto formaliter, nego; concomitanter, concedo: nam quamuis actio illa præcisè sumpta fit fieri formæ, non est tamen formaliter fieri eius in subiecto.

Tertia obiectio.

Obiicitur tertio. Esse formæ accidentalis est inesse subiecto: ergo eius fieri est fieri in subiecto. Deinde omnis forma, quæ pendet à subiecto, non fit etiam quoad entitatem suam sine concursu subiecti: sed subiectum concurrat tantum ad formam prout inexistens: ergo forma non fit nisi per actionem, qua fit in subiecto.

Resp. distinguendo primum antecedens; esse formæ accidentalis est inesse per concomitantiam, concedo; per essentialem identitatem, nego: dum enim accipit esse concomitanter, accipit inesse subiecto. Similiter omnis forma, quæ pendet à subiecto, non fit sine concursu subiecti concomitante, concedo; sine concursu subiecti formaliter concurrentis per eandem actionem, qua forma fit, nego.

Instapria.

Instabis. Actio illa, qua fit entitas formæ formaliter, esteductio; non enim est creatio: ergo formaliter est fieri formæ in subiecto.

Respondeo distinguendo antecedens: actio illa præcisè sumpta esteductio, sieductio sumatur adæquatè prout significat productionem formæ, & productionem vnionis, nego; si sumatur inadæquatè, concedo:eductio enim includit duas actiones, alteram quæ fit forma, alteram quæ fit vnio. Itaque actio illa præcisè sumpta non est quidem creatio, quia essentialiter exigit concomitantiam actionis quæ producat vno cum subiecto; sed esteductio sumpta inadæquatè.

QVÆSTIO IV.

De concursu Dei cum causis secundis.

Quam sit mirabilis concursus Dei.

Dixi hæcenus de causis secundis efficientibus, sequitur nunc vt agam de necessaria illis assistentia causæ primæ, prouidentia nimirum diuinæ opus mirabile cooperatio eius est cum omnibus causis creatis, quas operando sic sequitur vt præcedat, sic præcedit vt totus cum illis, & post illas sit. Earum videlicet actus etiam malos adiuvat, & malitiam eorum damnat; nec peccata facit dum peccantibus assistit, malitiam separans à seipsa, & in ipso peccati regno trophæum erigit sanctitatis suæ, vt vnde homo peccans seipsum inquinat, splendorem hinc nouum Dei puritas acquirat, peccatis ipsis cooperans absque vlllo peccato. De hac igitur tam perenni, tam secreta, & tam mirabili Dei operatione triplex est controuersia: primò, an sit, siue il-

lius existentia, & necessitas: secundò, quid sit diuinus ille concursus cum causis secundis: tertio, quomodo coniungantur causa prima & causa secunda ad operandum, vtrum scilicet causa prima secundam determinet, an verò ab ea determinetur.

SECTIO I.

Existentia concursus diuini cum causis secundis.

Non quæritur primò hic, vtrum Deus concurrat mediâtè ad omnes actiones creatas, conseruando scilicet earum causas; de hac enim necessitate concursus conseruatiui dicitur in sequente tractatu: nunc satis sit dixisse cum Trismegisto cap. 1. Pimandri, *Si à quodam opere inflexum suum ille subtraxerit, deficiente vita in moriem currunt vniuersa.*

Nec quæritur secundò, vtrum Deus mediâtè concurrat cum causis, eo quod ab initio causas illas produxerit, à quibus istæ posteriores productæ sunt; nam hoc est etiam compertissimum, & sapienter ibidem asserit Trismegistus, *Quod in Deo, & à Deo omnia.*

Neque tertio quæritur, vtrum ad actus supernaturales immediâtè concurrat Deus adiuvando potentiam de se impotentem ad tales actus; hoc enim contra Pelagianam vefaniam rectè cum vniuerso Fidelium cœtu pronunciat Augustinus lib. de gratia & libero arbit. *Ipsè vi velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Quæritur ergo tantum, vtrum causæ omnes creatæ ita subordinentur causæ increatæ, vt nullus effectus possit ab ipsis produci, quem producere immediâtè per seipsam non debeat prima causa, tanquam vniuersalis energia, & virtus omnium, quæ mouent & mouentur; quod vt demonstrarem clarissimè. Primùm quæro, vtrum de facto concurrat Deus cum causis illis, quæ sunt: secundò vtrum sit possibilis aliqua creatæ causa, cuius operatio Deum non exigit cooperantem: tertio, vtrum Deus concurrat ad actus malos: quarto, vtrum concurrat ad actus liberos: quintò, vtrum concurrat cum causis etiam distinctis ab efficiente.

§. I.

Vtrum Deus de facto concurrat cum omnibus causis secundis.

Dico primò, Deum ita immediâtè concurrere cum omnibus causis creatis, vt nulla creatura earum, quæ sunt, possit quidquam sola operari. Ita omnes Philosophi, & Theologi, tum Christiani, tum Ethnici; quibus temerariè omnino repugnant Durandus & Aureolus, absolutè negantes necessitatem concursus diuini; & nuperus scriptor, negans eius necessitatem ad actum liberum. Certè S. Thomas lib. contra Gentes, cap. 89. damnat Origenem, quod negauerit hunc concursum, & dicit id euidenter esse contra Scripturas.

Prima ergo probatio petitur ex multiplici Scripturarum autoritate. Actorum 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*; & ibidem, *Dans omnibus vitam, inspirationem, & omnia.* Isaia 6. *Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.* Iob 10. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me totum.* Psalmo 141. *Qui operit calum nubibus, & parat terræ pluiam.* Ioan. 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Ad Corinth. 12. *Operatur omnia*